



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Philosophistæ Seu Excerpta Pauca Ex Multis Libris,  
Thesibus, Dictatis Theologicis**

**[S.l.], [ca. 1692]**

A. incerto Idem sub P. Morié vel sub P. Pernel.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39173**

## 60 PHILOSOPHISTÆ.

III.  
PARS.

profundum venire, non dolet de peccatis suis; cognoscit tamen se peccasse.

## IDEM COLLEGIUM CAMBERIENSE.

ANNO  
INCER-  
TO.

Hanc eandem questionem: Quid requiratur ad mortale ex parte intellectus, versat alius quidam Camberiensis Theologiae Professor in Tractatu De Peccatis . . . art. 4. Quo anno, & an à P. Morie, an à P. Pernel traditus sit, non satis meminit, qui illum ex Jesuitæ dictantis ore exceptit.

Dico primò, inquit ille, Si intellectus non cogitat, ne dubitativè quidem, malitiam aut prohibitionem, neque reflectit se teneri ad inquirendum, nullum esse peccatum neque mortale neque veniale.

Adductis vulgaribus apud Philosophistas probatiunculis, mox sibi objicit.

Objicies primò. Sequeretur homines excusari à peccatis gravissimis, quod est absurdum. Resp. Nego esse absurdum, si non sit cognitio malitiæ, vel dubium de illa, vel saltem de obligatione ulterius inquirendan sit malum.

Dices: Multi peccant ex consuetudine, non advertentes ad id quod faciunt. Respondeo esse semper aliquam advertentiam, quando peccant, saltem exiguum. Si nulla sit, non peccant per ipsum actum, sed voluntate perseverandi in prava consuetudine, cùm de ea cogitantes non proponunt emendationem.

Objicies 2. Sequeretur eos, qui nullum sentiunt scrupulum, non peccare. Atqui gravissimi peccatores nullum scrupulum sentiunt, juxta illud: *Impius cùm ad profundum venerit, contemnit.* Ergo &c. Respondeo. Distinguo Majorem. Si per scrupulum intelligatur dolor & anxietas & cruciatus in affectu,

nego

## DICTATA SCHOLASTICA. 61

nego Majorem: quia qui privantur tali sensu, pec- III.  
cant. Si intelligatur lumen aliquod avertens à pec- PARS.  
cato per ostensionem malitiæ, concedo Majorem:  
nam qui carent hoc lumine, non peccant, quia sine  
illo peccatum non est voluntarium, nec liberum.

Adjicit objectionem, quam ultimo loco ex P. Rose  
retulimus de Peccatis occultis, ignoratis, non pun-  
gentibus; eodemque modo solvit.

Dico 2. ad peccatum mortale requiritur adver-  
tentia plena actualis malitiæ aut periculi illius. Hæc  
conclusio ferè probata manet ex superiori. Nam 1.  
patet requiri advertentiam, quidquid dicant Nova-  
tores qui volunt ignorantiam invincibilem non ex-  
cusare à peccato &c.

Dico 3. Imò ad mortale requiritur etiam adver-  
tentia ad gravem malitiam. Probatur &c.

Quamquam verò non expressè hoc loco tradatur  
dogma damnum de peccato Philosophico; hoc ipsum  
tamen docetur manifestè in principio illo generali. Si  
enim & cognitio malitiæ & advertentia eaque actualis  
& plena malitiæ moralis & naturæ rationali oppositæ  
excusat ab omni peccato, adeoque à Philosophico; si  
cui adsit ex cognitio malitiæ moralis & ad eandem  
actualis plenaque advertentia; desitque cognitio malitiæ  
Theologicæ, aut actualis & plena ad eamdem ad-  
vertentia, tunc peccatum quidem purè Philosophicum  
admittet, Theologicum verò nequaquam, nec incur-  
ret in odium Dei, nec ab eo pœna æterna addici po-  
terit.

## COLLEGIUM TREVIRENSE.

ANNO 1684. P. Contzen Doctor Theologus Theo- 1684,  
logique in Trevirensi Collegio Societatis Professor  
Moralis Theologie tractationem aggressus est; in cu-

jus